



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo post Tiberium, Caius Herodem peepetuo mulctans exilio,  
Agrippam Iudaeorum regem creauerat. Cap. IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



EVSEBII HISTORIAE

17.11. sionem, perq; Petri ministeriū primus esset fidem in Christum amplexatus, & complures alij Græci Antiochiæ, quibus discipuli, dum Stephanum Iudæi persequebatur, varijs locis dispersi prædicassent & ecclesia Antiochiæ modo floreret, atque indies magis magisque cresceret, & permulti prophetæ ab Hierosolymis profecti, illic eodem tempore versarentur, & Barnabas ac Paulus vna cum illis viuerent, aliaque fratrum turba istis adiungeretur: Christianorum appellatio in ea vrbe tum primum velut ex florido & fertili solo exorta est. Agabus etiam vnus è prophetis, qui cum illis vixerunt, de fame quæ erat vniuersum orbem terrarum occupatura, id temporis vaticinatur. Vnde item Paulus & Barnabas Hierosolymam vsque allegati erant fratrum ministerio inseruituri.

*Quomodo post Tiberium, Caius Herodem perpetuo multans exilio, Agrippam Iudeorum regem creauerat. Cap. IIII.*

**T**iberius cum circiter duos & viginti annos imperiū Romanum gubernasset, abiit è vita. Huic in imperium succedens Caius confestim Iudææ præfecturæ honorem Agrippæ detulit, illumque tetrarchijs, quibus Philippus, & Lyfania potiti fuerant, præfecit. Ad quas quidem non longo tempore post adiecit etiam Herodis tetrarchiam: Herodem (eum dico qui seruatoris passioni vnà cum vxore Herodiade interfuit) & quem Caius ob varia & multiplicia crimina, quæ in vita admisisset, graui multa & supplicio afficiens, perpetuo tandem addidit exilio. Atque istarum rerum Iosepho teste vtaris licet.

*Quomodo Philo pro Iudæis, ad Caium legationem obierit. CAP. V.*

**H**uius porro imperatoris temporibus Philo magna famæ celebritate apud plurimos fuit: Vir sane, qui non nostrorum hominum solum, sed etiam Gentilium qui humanitatis ac politioris literaturæ elegantia excelebant, facile principem locum obtinuit. Genus autem